

702
1776, 15.
QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
SVBSTITVTIO VALEAT
IN TESTAMENTO PARENTVM
PRIVILEGIATO

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.

S O C I O

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXIX. FEBRVAR. ANNO C I C I C C L X X V I .


D E F E N D E T

IOHANNES FRIDERICVS AVGVSTVS GLAVCH

VIPERA - THVRING.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .





AN
**SVBSTITVTIO VALEAT
IN TESTAMENTO PARENTVM
PRIVILEGIATO?**

Quod ciuitatis inuenta sint testamenta, et quod inter Romanos probe gnares, morte res nullius fieri atque occupanti cedere, legis autoritas testamento inesse, ne videlicet alius quis, quam quem vellet testator, res suas morte nullius occuparet, ipsa iuris analogia docet. Prima enim in comitiis populi condita testamenta ex forma democratica leges verae erant, neque postea introducto per aes et libram testamento, imo praeitorio, et demum solenni ex antiquioribus composito legis vix abfuit a notione testamenti, ut nos inconcurre adhuc lex familiae dicatur. Quae vero ea testamenta sint, ad nos in hac proposita dubia quaestione non pertinet: vna tantum species illustranda, quippe sine

§. I.

* 2

ex



exacta priuilegiati testamenti parentum notione quaestio de-
cidi nequit.

§. II.

Primum teste IUSTINIANO in *Nov. CVII. proem.* Imperator *Constantinus Magnus* primus fuisse videtur, qui patris ultimam voluntatem inter liberos, sive sui, sive fuerint emancipati, ratam esse voluit, absque solennitatibus testamentiariis scripam. Extat haec Constitutio Iustinianea in *L. vlt. C. famil. ericis.* Hanc de patribus conceptam legem benigna interpretatione authentica Imperator *Theodosius* extendit atque matribus reliquisque adscendentibus ἐμαρτέγας Φύσεως, i. e. *vtriusque sexus* idem beneficium dedit, vt absque solennitate testari inter liberos possent. Neque huius iuris causa, adfectus atque σογῆν naturalis, quae alias saepe causam dedit iuribus, sed absque dubio videtur legislator eo respexisse, quod liberi parentum quasi a natura viderentur dati esse heredes, quique ab intestato succederent, vt succedendius legae familiae ipsis dare necesse esse non videretur. Sufficere itaque visa est voluntatis declaratio, quae legitimam successionem confirmabat, simulque heredum partes determinabat.

§. III.

Non addo reliqua de testamentis his priuilegiatis, quippe ex quo quis compendio facile supplenda. Hoc unicum est, quod ex *L. vlt. C. famil. ericis.* addo. Constituerat videlicet Imperator: *Si vero in huiusmodi voluntate designatis liberis alia sit mixta persona: certum est, eam voluntatem, quantum ad illam duntaxit personam permixtam pro nulla haberi.* Facile patet, noluisse Imperatorem, vt in testamento priuilegio parentum extra liberos aliquid alii personae vel titulo heredis, vel titulo legati relinquatur. Quapropter si vel matrem vel extraneum simul heredem scripturus erat pater, solenni testamento opus erat. Quodsi vero absque solennitate

te



5

te testamentum conditum esset, intuitu liberorum quidem iure valebat, quippe si successissent, si infirmato testamento intestatus decessisset parens; at extraneus haec vel mater ipsa instituti haberi non poterant, sed ratione eorum testamentum nullum erat, seu ut verba sunt legis: *quantum ad illam duntaxat personam permixtam pro nulla haberi.* Et ita in legatis relinquendis. Scripta enim non videbantur legata, nisi saltem quinque testibus adhibitis, qui numerus testium in legatis relinquendis necessarius.

§. IV.

Pergimus ad *Substitutionem*. In genere de ea mentio fit in proposita quaestione. Est vero *Substitutio heredis* institutio subsidiaria, vel in locum primi aut vltioris, vel in casum primi heredis demortui. Nihil de militari substitutione, quae militis arbitrio tantum determinatur, lege vero definita non est. De reliqua tantum dicamus. Ea vero, ut notissimum, est vel *vulgaris*, vel *pupillaris*, vel *exemplarialis*. *Illa* heredem in subsidium constituit, si prius deficiat, vel non possit, vel nolit heres esse. *Illa* heredi impuberi instituto, heredem scribit in casum, si ante pubertatem, seu antequam ipse testandi facultatem habeat, moriatur. *Haec* demum ad imaginem introducta, videlicet, si filio furioso aut prodigo a parentibus in testamento heredi scripto in casum, si vel in furore, vel antequam frugi factus, decederet, heres scriptus est, qui in eius pecuniam succedat. Iam videamus, quid de singulis substitutionibus adfirmandum videatur, si in priuilegiato parentum testamento sint ordinatae.

§. V.

Quod ad *Substitutionem vulgarem* attinet, quae vltioris heredis est institutio in locum primi deficientis atque quoties vel ille non possit heres esse, vel nolit: facile patet, primario respiciendum esse ad personam substituti. Cum enim



enim in testamento priuilegiato parentum extraneae personae nihil relinqui valide possit, et si quid esset relictum, nullum esset testamentum, intuitu extraneae personae, sequitur, extraneam personam non, nisi solenni testamento vulgariter esse substituendam. Quapropter, si vel pater, vel mater, vel auus auiae testamento priuilegiato filium filiamque heredem scripsissent adiecta illa substitutione, ut, si heres non sit, Titius heres existat, plane nullus esset effectus illius substitutionis vulgaris, neque licet filius praemortuus sit, vel forsitan non possit adire hereditatem, quod medium capitis deminutionem passus esset, vel abstineat ab hereditate, nihil ad substitutum ex priuilegiato ventrici testam: into, sed ad causam intestati res reddit.

§. VI.

At vero, si eam contemplamur speciem, quam exhibet MODESTINVS in L. 4. §. 2. π. de Vulg. et Pupill. Substit. non improbabile est, posse substitutionem fieri in priuilegiato testamento parentum inter liberos. Verba sunt: *Sed si alter sc. filiorum pubes, alter impubes hoc communi verbo, EOS QVE INVICEM SVBSTITVTO, sibi fuerint substituti: in vulgarem tantummodo casum faclum videri substitutionem Seuerus et Antoninus confituit.* Est ergo frater fratri vulgariter substitutus. Quid vero obstat, quominus dicamus, hoc in testamento priuilegiato parentum recte fieri posse. Cum enim utrique filii heredes possunt instituti in priuilegiato testamento, substitutio vero est species heredis institutionis, dubium non est, quin, in qua persona valet heredis institutio in parentum priuilegiato testamento, in ea et valeat substitutio in eodem testamento.

§. VII.

Iam de pupillari substitutione. Idem sine dubio observandum erit, quod de vulgari diximus. Quodsi enim pater suo filio impuberi heredi scripto, in casum, si moriatur, an-
tequam



tequam in sui tutelam veniat, Titum substituerat, nullum erat filii testamentum, si illa substitutio in priuilegiato testamento facta, quippe extraneus, qualis Titius, neque in eo priuilegiato testamento institui, neque etiam substitui poterat, cum et haec substitutio heredis institutio sit. Scribit enim vulgariter substituendo primum pater sibi heredem, post filio. At si impuberi filio alium ex liberis substituisset, cum institui omnes in eo testamento possent, quid prohibet, quo minus ea valeat substitutio. Quapropter si thema, quod in solenti testamento proposuit IULIANVS in L. 25. π. de Vulg. et Pupill. subſt. scilicet: *Si pater impuberis filios inuicem substituerit et ei, qui nouissimus mortuus fuerit, Titum: respondendum est, solos fratres bonorum possessionem accepturos et quodammodo duos gradus huius institutionis factos, ut primo fratres inuicem substituerentur: si illi non essent, tunc Titius vocaretur: transferatur ad priuilegium testamentum, valebit quidem pupillaris inuicem facta substitutio, sed nunquam Titius vocabitur, si illi non sint, quippe in extraneo nullum est testamentum.*

§. VIII.


Sed quid, si mater viuat impuberum, eaque pupillari-
ter substituenda esset impuberibus, quale quid in Saxonie
CONST. ELECT. VIII. P. III. et DECIS. ELECT. XLVII.
dispositum, quaeque dispositio a Iustinianeo iure non abhor-
ret; Nam L. 8. π. de quer. inoff. teſt. neque de hac specie agit
nec agere poterat, cum VLPIANI, qui capituli autor est, ae-
tate matri ex lege legitima nondum competebat, ut ob eam re-
ete negetur ex Iustinianeo tempore, quo aequali iure cum pa-
tre legitima competeteret, quam lex noua eidem tribuerat, quae-
que arbitrio patris solo eripi non poterat. Si itaque mater sal-
tem in legitima impuberi substituenda, non nisi in testamento
solenni substituetur, quippe nec cum liberis in priuilegiato
institui poterit. Est enim mater intuitu testamenti priuilegiati
alia persona, in qua instituta nullum est testamentum.

§. IX.



§. IX.


Tandem ad exemplarem substitutionem veniamus. Haec quidem vulgo a IUSTINIANO tanquam ab inuentore nominatur Iustinianea. Non omnino recte, quippe ab eo tantum auctior redditia. Non enim ante Iustinianea tempora incognita, quod vel sola autoritas PAVLI in L. 43. π. de Vulg. et Pup. Subst. probat. In hoc enim capite species extat, in qua pater filio muto, quod testamentis factiōnē non haberet, quasi pupillariter substituerat. Sed tum temporis haec substitutio quasi pupillaris ex Imperatoris beneficio tantum ordinanda erat. At Iustinianus liberam fecit, ut amplius Augusta indulgentia non requiratur, imo forsitan vtrique parentum concessit. Si ergo ea substitutio quasi pupillaris seu exemplaris ordinanda, in testamento priuilegiato tunc tantum valida, si liberi substituendi vel fratres. Simulac vero vel mater vel extranea persona substituenda fuisset, nunquam valebit in testamento priuilegiato, sed solenne omnino requiratur. Causas non repeto supra iam expositas.



Leipzig, Diss., 1776 A-G



aus 34 Steck bisher verku



Q V A E S T I O
IVRIS CONTROVERSI
A N
S V B S T I T U T I O V A L E A T
I N T E S T A M E N T O P A R E N T V M
P R I V I L E G I A T O
Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
P R O F E S S. P V B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B V R G E N S.
S O C I O
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
D I E X X I X. F E B R V A R. A N N O C I D C C L X X V I .
D E F E N D E T
I O H A N N E S F R I D E R I C V S A V G V S T V S G L A V C H
V I P P R A - T H V R I N G.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.